

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiae Fridericianae Christianus Wolffius,
Potentissimi Borussiae Regis Consiliarius Avlicus,
Mathematicum Ac Physices Professor ...**

Wolff, Christian

[Halle, Saale], [1721?]

VD18 13540602

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:ha33-1-196090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:ha33-1-196090)



Secundum
45

AD

interpret
D. Jo. Dan. Herrnschmidt.



Triumphos suos mundus anniversaria
recolit solemnitate, cur Christianos tædeat vel
pudeat Servatoris & Regis sui Supremi novo
quotannis plausu concelebrare laureas? Ca-
nunt & prædicant majorum suorum præclara
facinora nepotes & posterī, ab ipso reportatæ
victoriæ fructu multorum lustrorum intervallo,
& variorum casuum interventu, jam satis remō-
ti. Ast nos Christum mortis & satanæ Victorem collaudamus cum
præsentissimo animarum nostrarum commodo, & cum certissimo fidei
nostræ, si recte hoc gaudio utatur, emolumento. Non enim Patrum
tantum debellavit Christus hostes, sed eosdem & nostros; non ma-
jorum modo profligavit perniciem, sed & nostram. Nobis salutare
est, quidquid a lætabundis angelis & mulieribus de Christi resurrectione
nunciatur, & tantum quisque spiritualis utilitatis exinde percipit,
quantum divinæ gratiæ ex Christi vita emanantis in cordis sui admit-
tit penetralia. Eo major solet esse lætitia publica, post superatos &
in fugam coniectos hostes, quo conspectior ante fuerat illorum vio-
lentiā & atrocitas. Consideremus igitur Adversariorum nostrorum
immanitatem, spectemus exuta ipsis arina & spolia, perpendamus ex-
tremam in resistendo pertinaciam, & sic clarius mentis nostræ aciem
afficiet pugnæ a Christo commissæ & victoriæ nobis partæ magnitudo.

Nobis equidem insuperabiles fuissent, nosque æterno pressissent
servitutis iugo, adversarii isti, quos a Christo devictos Paulus commē-
morat, exclamans Prophetæ verbis: *ubi, mors, aculeus tuus? ubi tua,
inferne, victoria?* & adjiciens explicationem: *aculeus mortis est pec-
catum, & virtus peccati lex est.* I. Cor. XV. 55. 56. Non autem cum
his solis, sed & cum principatibus atque potestatibus, cum principi-
bus tenebrarum hujus mundi, cum spiritibus nimirum malignis, res
nobis erat, qui dira omnia nobis minitabantur, & inferre meditaban-
tur subinde truculentiora. Ecquid autem consilii, quid auxilii nobis
supererat contra tot, contra tantos & tales adversarios?

Non majori jure animos despondebat totus populus Israelitarum, &
fugam

lucam circumspiciebat, Goliatho injurias evomente & provocante;
1. Sam. XVII. 23. 24. quam universum humanum genus, peccata ex-
probrante, & pro meritis peccando poenas objectante, gigante stygio.
At & nobis accurrit atque auxilium attulit coelesti pollens fortitudine
Heros, contumeliarum hostilium acerrimus vindex, & nostrae tunc pa-
cis tunc felicitatis exoptatissimus restaurator. Non, ut Goliathus, trux
aspectu, sed placidus; non corporis robore omnibus conspicuus, sed
intus divinitate fultus; non armorum varietate & magnitudine, sed
pastorali habitu & apparatu; non minis & blasphemis Deum impetens
& homines, sed accedens in nomine Jehovae, pugnam suscipit, in val-
lem infimam descendit, ad rivulum in via inclinatur, hostem adori-
tur, prosternit, proprioque gladio jugulat.

Quis talia mente pia pensitans alienus esse queat a laetabunda po-
puli redempti gratulatione & exultatione? Quis improbet tantam pas-
sim decantari & celebrari victoriam? Certe quibus cor friget inter
Paschales fidelium jubilos, illi nec quantum peccati reatus sit malum,
nec quanta sit ira Dei adversus peccatores, nec quam tremenda sit æ-
ternæ mortis & condemnationis miseria, aut quam acerbi sint infer-
nalia tormentorum cruciatus, quamve detestabilis malignorum spi-
rituum societas, unquam satis perpenderunt, vel ad animum revoca-
runt. Quidni enim laetetur de superato periculo, qui ejus ante au-
xilium perspexit magnitudinem; qui abstinere poterit gaudio, qui
post dolores acutissimos ope medica desideratam recuperavit sanita-
tem? Illud autem mirum non est, mente motos aut sinistris affecti-
bus abreptos, nec mala sua satis intelligere, nec beneficia, quæ in ipsos
conferuntur, ut par est, attendere. Ingrati igitur sunt, & evangeli-
cæ veritatis aut ignari aut incurii, imo Christiani nominis encomio
plane indigni, qui, inter publica Paschalis lætitiæ studia & documen-
ta, cogitant aliena, Christum resurgentem vel nesciunt vel negligunt,
aut, quæ pie credit ecclesia, alto supercilio contemnunt.

Quod si quis dubitet, an tantus sit quem ex Christi Resurrectione
fide percipimus, fructus, Apostolum audiat, Rom. VIII. 31. 32. 33. 34.
cum gaudio & gratiarum actione scribentem: *Si Deus est pro nobis,*
quis erit contra nos? Qui etiam proprio suo filio non pepercit, sed
pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri poterit, quin & cum ipso

omnia nobis largiretur? Quis accusabit electos DEi? DEus est qui justificat; quis est qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, immo potius qui & resurrexit, qui & est ad Dextram DEi, qui & intercedit pro nobis. Luculentius sane & majus solatium Paulus detexit in Christi resurrectione, quam in ipsa ejus morte. Hinc verbis, Christus est, qui est mortuus, quasi correcturus aut altius evecturus sermonem, subjicit immo vero potius ille, qui resurrexit. Scilicet non mori tantum pro nobis, sed & resurgere debuit Christus sponsor noster, ut possemus a peccati reatu absolvi & justificari. Luc. XXIV. 46. I. Cor. XV. 3. 4. Itaque qui traditus est propter transgressionem nostras, resuscitatus etiam est propter nostram justificationem. Rom. IV. 25. Maclandus omnino erat agnus DEi, qui sustulerat peccatum mundi, Joh. I. 29. Coll. IV. 3. 15. 24. at vitæ erat restituendus idem, postquam culpa abolita meruerat accipere virtutem & divitias, & sapientiam & potentiam & honorem, & gloriam & benedictionem. Apoc. V. 12. DEus igitur resuscitavit Christum, solvens dolores mortis, quemadmodum fieri non poterat, ut ipse ab illa detineretur. Actorum II. 24. Qui enim in inferis relinquere posset DEus animam ejus, aut qui daret sanctum suum videnda corruptioni? v. 27. Justo quidem beneplacito DEus percusserat ipsum morbo, (mörtifero) quoniam posuerat animam suam peccati hostiam; ast posteaquam hoc præstitit, cernere debuit semen, & dies vivendo in longum extrahere, & beneplacitum DEi (salvificum) per manum ejus prospere jam debet succedere. Jes. LIII. 11. Sic DEus qui justus fuit in condemnando & puniendo, justus etiam esse voluit in absolvendo & remunerando.

Neque autem sic quoque animus noster satis percipit, quid utilitatis sibi vita & resurrectio Christi attulerit, nisi rem a prima sua origine & causa accuratius æstimare noverit. Nimirum nobis natus, nobis datus Messias, non ob sua, sed ob nostra peccata milerias humanæ vitæ in terra pertulit; & cum esset in forma DEi, non pro spolio habuit, quod DEo esset similis, sed seipsum evacuavit. formam suscipiens servi, & hominibus factus similis, habitu etiam ut homo inventus, ipse se humiliavit, obediensque fuit usque ad mortem, mortem autem crucis. Phil. II. 6. 7. 8. Voluntaria itaque & vicariæ

obc.

obedientia, p[er]fessione, & morte culpam omnem humani generis expiavit, & quas Adamus cum posteris suis promeruerat poenas, cumulatissime sustinuit. Pl. XL. 7. seqq. Ebr. X. 7. seqq. Pl. LXIX. 6. Jes. LIII. 5. 6. Jam quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors, quæ peccati est præmiu[m], Rom. V. 12. VI. 23. ita, postquam Christus solo amoris impulsu se ipsum dedit redemptionis pretium pro omnibus, Gall. II. 20. Matth. XX. 28. I. Tim. II. 6. & pro peccatis nostris mortem subiit. I. Cor. XV. 3. sublata mortis causa, quæ peccati erat reatus, mortem quoque e medio tolli æquum fuit, poenamque abrogari. Et sicuti iustitia DEi salva homines, sponfore destituti, impunes abire non potuissent, sed æterna morte fuissent puniendi; ita salva eadem DEi iustitia fieri nequit, ut, post satisfactionem præstitam pro peccatis hominum, peccatorum supplicium aut a sponfore aut a debitoribus credentibus porro exigatur. Christus igitur, morte semel tolerata, mortis vinculis retineri non debuit diutius, quam ut vere mortuus ac sepultus dici posset; immo eodem tempore, quo mortificatus est carne, vivificatus est spiritu. I. Pet. III. 28. Quod enim mortuus est, peccato est mortuus semel, quod autem vivit, DEo vivit. Rom. VI. 10. & sic mortuus (seu morte ob peccata nostra mulctatus) justificatus est a peccatis vicaria ratione in se receptis. v. 7. & per resurrectionem plenissime absolutus. In hoc ergo vera paschalis gaudii indoles posita est, quod Christi morte culpam nostram deletam fide viva credimus, Coll. II. 13. 14. & per Christi vitam ac resurrectionem poenæ nobis infligendæ abolitionem factam latabundi agnoscimus. Recte enim cum Paulo judicamus, si unus ille (sponfor a DEo agnitus) pro omnibus mortem pertulit, utique omnes illi (quoad effectum juris) mortui sunt (seu poenam dederunt culpæ suæ, saltem imputative, per sponforem suum) 2. Cor. V. 15. Et si, cum essemus inimici, reconciliati sumus DEo per mortem filii sui, multo magis jam reconciliati salvabimur in vita ejus. Rom. V. 10. Non igitur sibi tantum revixit Christus, sed & nobis; & qui non nisi pro nobis & nostra causa est ad mortem condemnatus, nobis cum ipso reatum culpæ nostræ communicantibus, idem, soluto debito, & negotio redemptionis feliciter confecto, sententiam vitæ ac iustitiæ, per ipsam vivificationem & resurrectionem magnifice

fice declaratam, nobiscum simili modo communicat, pro morte nobis donans vitam, & pro suppliciis sempiternis jus adoptionis & hereditatis coelestis ac incorruptibilis, I. Pet. I. 3. 4.

Hæc equidem omnia, & adhuc plura, per evangelium nobis offert & exhibet Dominus, nil nisi fidem nostram requirens, quæ beneficia mortis, resurrectionis, ac totius meriti sui simpliciter ac absque mercenaria fraude acceptet, & in potestatem ipsius tota transeat. Hoc enim sine se ipsum dedit pro nobis, ut nos liberaret ab omni injustitia, & sibi mundaret populum proprium, bonorum operum studiosum. Tit. II. 14. Immo ad id mortuus est, resurrexit & revixit, ut dominus esset & mortuorum & viventium. Rom. XIV. 9. Quicunque igitur Christi sacrificium pro peccatis suis Deo jam præstitum, & testante resurrectione ejus, ad nostram efficacem justificationem, abnegata omni alia spe & fiducia, pœnitenti & fidei animo sibi adplicat, & se in Christo peccatis mortuum reputat, seu potius pro tali a Deo propter Christum se reputari credit, Rom. VI. 11. is & ipse spiritualiter revixit, & novæ vitæ novos motus persentiscit. Id quod Paulus de se ipso affirmat, *Christo*, inquit, *concrucifixus sum* (hæc basis est fidei & spei meæ) *vivo autem; non amplius ego, sed vivit in me Christus.* (Mortem enim propria culpa homo meruit, vitam non nisi ex Christi dono recipit) *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo, quæ est in filio Dei, qui me dilexit & se ipsum pro me tradidit.* Gal. II. 20.

Quis ergo Christianus non exclamet cum eodem Apostolo: *Deo sit gratia, qui nobis dedit victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum.* I. Cor. XV. 57. Verum est, parentes primos violasse legem divinam, severa mortis comminatione munitam; verum est, eandem culpam & nostram esse, nobisque imputari; verum etiam est, ex primæ illa corruptione naturam nostram hereditario peccati originalis morbo esse contaminatam, sicque reos nos esse mortis & temporalis & æternæ; at verum non minus est, Christum legem divinam obsequio abundantissimo implevisse, poenas nobis debitas pro nobis luisse, & maledictionem vicariam subeundo benedictionem nobis æternam attulisse, Gal. III. 13. 14. verum est, per mortem suam eundem destruxisse illum, qui mortis habuerat potestatem, nempe diabolum, Ebr. II. 14. destructaque morte vitam & incorruptibilitatem lucere jussisse per Evangelium. 2. Tim. I.

testas ex morte prorumpendi & in vitam redeundi. Solus Christus, qui abundantissime Patri satisfacit, & moriendo culpas nostras abolevit, & vitam resumendo vitæ spiritualis & æternæ nobis redonavit gratiam. Joh. X. 18. 2. Tim. I. 10. *In hanc vitam ex morte transit, qui verbum Christi audit, & qui credit illi, qui eum misit, is & vitam adipiscitur æternam, & in judicium non est denuo venturus.* Joh. V. 24. Rectissime igitur cum Paulo quivis Christianus fidelis, quidquid vivit, Christo acceptum refert, & non tam suam se, quam Christi vitam, vivere existimat, etiam atque etiam repetendo verba illa: *Vivo, at jam non ego, vivit autem in me Christus. Quod vero nunc vivo in carne, in fide vivo, ista Filii DEI, qui me dilexit, & se ipsum pro me tradidit.* Gal. II. 20.

Vivite ergo, Christiani, chara Christo pectora,
ut triumphatorem Jesum vestra vita prædicet.
Quid juvat Christi canoris vocibus Victoriæ
Personare gloriando, quid trophæa pingere
E sepulcro prodeuntis principis præfulgida,
Et fugatos strenue hostes insequi sermonibus,
Si fidem vitæ tenacem nesciant præcordia.
Si lues originalis libere fibras voret,
Et tyrannus ille mundi, trux libidinum artifex,
Cor pio rebelle Christo legibus regat suis?
Turpe sane & indecorum est, servitutis ad jugum
Hostibus victis reverti, turpe sponte occurrere,
Et trementi colla dextræ vincienda tradere.
Vivit, ut vivatis ipsi, Christus, ad vitam vocat
Ex tenebris, & requirit assecclas victoriæ.
Quotquot ergo digniorem feriis Paschalibus
Mente cultum destinatis, Christianos ut decet,
Vivite illi, sacra vivum quem loquuntur pulpita,
Moribusque vos malignis mortuos ostendite.
Sit triumphatoris ipta vita Christi particeps.

P. P. Halæ Magd. pridie Festi Pasch. M DCC XXI.

Litteris JOANNIS GRVNERI, Acad. Typogr.

W 18

